Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3351
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 50. Libellus *de Contemtu mundi*, qui incipit: *In prescripto Libello tractatum est de arte bene moriendi nunc tractandum est per pauca de arte bene viuendi. Augustinus dicit Nemo bene moritur* &c. Itaque hi duo Libelli eundem Autorem agnoscere videntur, qui fortassis est: *Jacobus Junterbuck Carthusianus*; invenio enim in *Joach. Felleri Cat. Codd. Bibl. Paulinae Lips.* ejus *Tractatum de Arte bene vivendi* sive *curandi vitia* et *de arte bene moriendi*, quin ex Opusculo sequente confirmor.

VI. *fol.* 61. Apologia *Carthusianorum* inscripta: *Multiplicati sunt qui oderunt me gratis*, et incipiens: *Sunt multi qui detrahunt carthusiensibus et Dicunt Ipsi non predicant. non laborant. circa ciuitates uel in ciuitatibus sua claustra edificant et vsuras recipiunt* &c. Haec porro diluere conatur Noster ab Usuris auspicatus, ubi multa de emtione Villae, quam *Lyel* adpellat, quae an ad *Domum S. Salvatoris Erfordiensem*, quam ille *Jacobus* incoluerat, pertineat, nescio. Certe scriptio cum ejus aevo congruit; cum enim versus finem legas: *ordo noster iam stetit in sancta obseruancia trecentis XLIX annis*, ejusque exordia Scriptores anno 1084. adfigant, conficitur, Libellum a. 1433. elaboratum fuisse. Ceterum continet is plura ad Ordinis notitiam opportuna.

VII. *fol.* 65. *Alredus de Amore.* Initium: *O admirabilis creatura solo creatore inferior quo te deicis* &c. Finis: *Verbum autem domini manet in eternum.* Abbas *Rievallensis* (Revesby) O. Cist. in *Anglia* Sec. XII. fuit *Ealredus*, de quo adi, si lubet, *Fabricii Bibl. med. Lat.* v. *Adilredus*, aut *Tanneri Bibl. Brit. Hibern.* v. *Ealredus.* Opera ejus ascetica *Duaci* a *Rich. Gibbon* S. J. 1631. edita in *Bibl. PP. Lugdun.* T. XXIII. cooptata sunt, ubi p. 76. occurrit ejus *Speculum Charitatis*, cujus *Caput* V. VI. et initium VII. locus hic *Cod.* nostri constituit.

VIII. *fol.* 66. Absque inscriptione *Bonaventurae* Opusculum *de Reductione Artium ad Theologiam.* Initium: *Omne donum optimum* &c. Legitur *Opp.* T. VI. *Lugd.* 1668. p. 1. f.

IX. *fol.* 71. rursus ἀνεπιγράφως Ejusdem Opusculum dictum *Incendium Amoris.* Extat T. VII. *Opp. cit.* p. 185. sed in *Cod.* deest *Prologus*, et initium ducitur a C. I. *Ecce descripsi eam tibi tripliciter* &c. Multum praeterea variat ab editis et deficit in iis C. II. verbis: *que est vtriusque principium.*

X. *fol.* 76. *Incipit prologus itinerarij mentis in deum compilati a ffratre Bonauentura.* Initium: *In principio primum principium a quo cuncte illuminationes procedunt* &c. Extat *Opp. Tom. cit.* p. 125.

XI. *fol.* 93. Disquisitio Scholastica, quae incipit: *Vtrum pro malo reddere malum sit licitum. Videtur quod sic quia hoc concedit et iubet lex diuina Exo.* 21. &c. Praeter PP. per cursum citantur *Thomas Aq.* et *Alexander de Hallis.*

XII.